



**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1666**

§. Cæterùm.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

## CAPITVLVM III.

## Præsenti.

## PARAPHRASIS.

Si Legatus à latere beneficium proximè vacaturum in Ecclesia aliqua sibi reserueret in fauorem certæ personæ, datis executoribus: atque accidat legationem eius primitus finiri, (puta per mortem, reuocationem, aut redditum in Vrbem) quām collatio beneficij vacantis facta est, tum reseruatione & omnis processus super beneficio irritus censeri debet.

## S V M M A R I V M.

1. Legatus à Latere potest beneficia, antequam videntur, sive collationi reseruare, etiam in fauorem certæ personæ.
2. Pendente una reseruatione sua in ecclesia Cathedrali, vel Collegiata, non potest aliam reseruationem facere, nec si in beneficiis alijs ad unius collationem spectantibus aliquod reseruauit, potest aliud beneficium in eiusdem Collatoris præiudicium sibi reseruare.

**N**O T A N D V M Vn. Legatus à Latere potest beneficia, antequam videntur, sive collationi reseruare, etiam in fauorem certæ personæ: Sed non potest ita reseruare, vt personæ ius aliquod conferatur ad petendum; cum per tale ius expectatiæ præbeatur occasio mortem alteri machinandi. Ita habetur in c. 2. de concess. præb. & docet Zabar. Clem. 2. de offic. Ordin. q. 3. Anchar. in c. si eum, de præb. in 6. Garcias de benefic. p. 3. c. 5. n. 35. Azortom. 2. lib. 5. c. 29. q. 1. & seqq. & dixi lib. 4. tr. 2. c. 10. n. 2. ver. præterea, & videri potest Trident. Sess. 24. c. 19. de reformat.

QVÆRIT h̄c Gl. ver. finitur legatio: Si Legatus causam alteri delegat, iurisdictione delegati perpetuata censetur per solam citationem. Cur ergo executoris iurisdictione ac potestas non similiter perpetuatur, si in cau-

sa illa procedere cœpit, partes citando, potestatem publicando, &c. Respondeat res. Quia reseruationes beneficiorum odioſa, restringendæ sunt; quippe cū per eas Ecclesiæ grauentur, & ordinariis collatoribus præiudicetur. Si tamen Papa, vel Legatus ex mandato speciali Papæ reserueret beneficium in fauorem certæ personæ, non exigitur potestas executoris, si in negotio progressi cœpit, vti docet Guil. Dur. tit. de Legato, §. Nunc tractemus, n. 14. Gl. hic ver. finitur, Dominic. col. 3. & constat ex c. fin. 35. in fine, de præb. in 6. Deinde si Legatus à latere aliquem Canonicum creauit, constituto executori, vt proximè vacaturam præbendam ei conferat, quod executor exequi possit, etiam finita legatione mandantis, tradit Gl. margin. hic: propterea quod Canonico de iure debeatur præbenda, vti dixi c. 10. n. 2. Vide Anchar. in cit. c. si eum.

## §. Cæterū.

**S**I Legatus à latere in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata beneficium vacaturum sive collationi reseruauit, non potest ea pendente aliam reseruationem facere. Et si ex beneficiis alijs ad unius collationem spectantibus aliquod reseruauit, non potest ead-huc pendente, aliud beneficium in eiusdem collatoris præiudicium sibi reseruare. Vide etiam quæ dicta sunt in c. mandatum, §. de rescript.

## CAPITVLVM IV.

## Deliberatione.

## PARAPHRASIS.

Legatus, etiam si à latere sit, non potest Ecclesiæ Cathedrales, aut Collegiatas conferre, aut collationi sive reseruare. Idemque dicendum de dignitatibus, que in Cathedralibus post Episcopatum maiori sunt, videlicet apud nos Præpositura, si per electionem Capitularem prouideri solle, quod Legatus se immiscere, & electores impediare haud possit.

S 14.